S. GEREON MARTYR.

SAnctus Gereon miles Chriſtianus fuit, ex Thebana illa celebri Legione, quæ pro uera Chriſti fide martyrij coronam ad Agaunum, Maximiano Cæſare uolente, nacta eſt. Ex eo autem exercitu Gereon cum ſocijs quibuſdam euaſit, atque ſecundum Rhenum Coloniã uerſus profectus eſt. Cum eo loco Chriſti doctrinam gnauiter ſpargeret, ab eius loci præſule captus fuit. Inſtabat autẽ is ut iuxta Cæſaris mandatum Gentium dijs atq; uanis idolis ſacrificaret. id cum ipſe conſtanter renueret, & uiuum Deum Ieſum Chriſtum confiteretur, ſupremo capitis ſupplicio cum ſocijs affectus fuit. quam etiam pœnam magno animo pertulit, Anno poſt Chriſtum natum circiter trecenteſimo octauo. Propterea huius Martyris celebris memoria etiamnum Coloniæ & in finitimis regionibus Germanię paſsim decantatur. Io. Stumpff.